

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis duodecimâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. CAROLO-JACOBO SAILLANT, Doctore Medico, Præſide.

An antequàm inſtituantur magnæ Operationes Chirurgicæ corpus medicè præparandum?

I.



MAGNAS operationes Medici vocant illas, à quibus dùm corpora maximè mutantur, in ſummum ſæpè periculum vita adduci poteſt. Scilicèt, cùm novas ferro per intima corporis vias aperit Chirurgus, vitiaque in imis fixa viſceribus exſcindit, neceſſarias excitat mutationes, multiſque periculis vita redimitur. Sæpè etiàm verſis in perniciem auxiliis, vel in opere ipſo perit æger, vel poſteà longis confectus malis extinguitur. Non ſimplex periculi cauſa eſt; ſed ipſius magnitudo à læſionis gravitate, à naturâ vitii per operationem tollendi, ab hominis in quem hæc cadunt temperie & indole debet æſtimari. Facilior quidem tutiorque noſtris temporibus facta Chirurgia, minores intentat metus, quàm priſcis temporibus, antequàm cultior anatome ferri vias regere ſagaciùs

didiciſſet ; at multa ſunt ex quibus periclitantur ægroti , quæ manûs auxilio depelli nequeunt. Igitur Medicus Chirurguſque , ſimul in ægri conſervationem laborent.

Omnis phyſica mutatio naturæ corporis & ſanitatis legibus adverſa , labemque functionibus inferens , haberi debet ut morbus. Nec alia eſt conditio infelicis ægri , quem , poſt multa operationis tormenta , vexant etiàm inflammatio , febris & varia ſuppurationis ſubſequentis incommoda. Verùm ſerò nimìs medicina parabitur , ſi jam tùm natura deficit , & non evitabili morbo impar opprimitur. Igitur obſta principiis , & quam prænoſcere datur læſionem , ſedulus occupa. Scilicet , antequàm operationi committatur , præparandum eſt corpus , ut tunc debitis viribus inſtructum tutò innecua patiatur vulnera. Quin etiàm ſolertibus Medici curis factum levius , quod operatione tolletur malum , feliciorem Chirurgo dabit victoriam.

Ut autem noſtra propoſitio juſtis terminis includatur , illas tantùm hìc admittimus operationes , quæ conſilio prudentiæque tempus relinquunt. Sunt enìm multæ , quas , etſi periculoſas , illicò perficere jubet inſtans neceſſitas ; quamvis ipſæ quoque prædiſpoſito corpore tutiùs perficerentur. Verùm huc plerumque pertinent illæ operationes , quibus Chirurgus , vel ruptâ diſtentâve in anevryſma tumidum arteriâ , ſanguinem ſolitis intercludit canalibus ; vel infectos artus penitùs reſecat , ipſoſque aliquandò propriis eruit articulis ; mammiſve ſuccifis cancrum tollit exedentem. Nec ſine gravi periculo , aquâ , pure , ſanguine preſſus , aperto thorace , pulmo liberatur ; vel propendens evacuatur abdominis hydropici moles ; aut aperitur latens , quam fæx inteſtinalis alit , fiſtula. Hùc pertinet aperta largo vulnere veſicæ cervix veſicaque , exitum datura calculo. Hùc etiàm ſpectat , ſi vel ſigna certa , vel præteriti labores id indicaverint , partus futurus difficilis , aut ſectio Cæſarea. Utque violentos pariunt dolores , ſic , ſi tempus dabitur , præparatione multùm indigent bubonocele , teſtium amputatio , & quæ in pene & omni genitalium ambitu perficiuntur ſectiones.

I I.

SIVE æger ſub ipsâ operantis manu ferrum jàm perſentiſcat , ſive ſuperatâ priori illâ ſcenâ , ſpem ſanitatis doloribus partam concipiat animo , utrimque non ſimplex mutationum ordo ipſius integritati vitæque inſidiatur. Namque in operatione ipsâ ſæpè urget debilitas frequens , & deficiente animo vita fugit , ſæpè miſer in mediâ ſpaſmi doloriſque vehementiâ convulſus rapitur. Elapſis verò his periculis , non minores aliquandò parant anguſtias quæcumque vulneribus ut plurimùm laceratis accidunt , inflammatio ingens ſuppurationiſque dubia indoles. Quìn etiàm , abſolutâ curatione , tutò ſemper ſaneſcere non licet. Sæpè enìm ſupereſt corpori , poſt hæc licèt curata , moleſta ſtatûs & proportionis mutatio.

Multa igitur ſpaſmos in ipsâ operatione concitant , multaque dolores actiunt immodicos ; & imprimis nimium ſensûs acumen , ſive ipſum ætas , natura ſexuſque , ſive vitæ genus , ſive imbecillitas ingenii paraverit. Sunt tamen & quibus nocuerit animi conſtantia pertinax , dùm ploratus , juſtos nimiùm & convulſis fibris non nihil levaminis afferentes , fortiter compeſcere , non ſine ingenti luctâ , moliuntur. Sunt & cauſæ plùs obſervatione cognitæ , quàm ex ipsâ perſpectâ naturâ prævidendæ. Talis eſt ſpaſmus ille tetanodes , qui apud Inſulas Americanas in Nigritas , etiàm levi vulnere affli-

ctos, incidit eosque morti devovet. Multùm quoque hìc sibi vindicat partis læsæ conditio, sive naturalis, sive morbo acquisita. Sic vulnera ad articulos, in ferventiore cœlo, spasmum plùs aliis inducunt. Sic ligamenta in paronychiâ fortiori læsa dolores incutiunt & atroces, ab eodem fonte, convulsiones. Quid si tollatur pars aliqua secretioni utili vixque supplendæ dedicata? non tàm dolor spasmum tunc videtur invehere, quàm partium supervacuarum & exundantium in nervos impetus. Id in testiculi amputatione nonne metuendum? & in mammæ excisione, nonne uteri sympathia pro novâ symptomatum scaturigine habenda est? Satìs ex se intelligitur, quantùm noceat crudi vulneris dilaceratio. Partiumque tendinearum semiscissarum inflammatarumque irritatio, strictis convulsisque fibris, mortem cum rigore tetanoque infestam non semel attulerunt.

Duplex tamen admittenda est spasmorum natura, neque enìm cum prædictis, quos sæva concitavit irritatio, confundendi sunt illi, qui à debilitate oriuntur. Ex hâc enìm deliquia ingentia accidunt, quæ vitam brevì cum lethali syncope & convulsionibus sufflaminant. Hæc mala creant multotiès constitutionis ipsius debilitas; at sæpiùs evacuationes nimiæ id faciunt, sive discissis vasis hæmorrhagia feratur abundantior, sive post distentas nimiùm cavitates, sublato onere, factoque pressis visceribus spatio, collapsus ingens vires facultatesque unà deleverit.

Hæc tamen, etsi frequentia, non sunt omnium operationum; at nullæ inflammatione prorsùs carent; ipsamque sequitur necessarium suppurationis officium. Utilis est per se inflammatio in vulnere, cujus sola labiorum adductio glutinationem legitimam efficere nequit. Varios tamen gradus suscipere potest, nec idcircò periculo caret. Ex eâ scilicèt febres, deliria, gangrænæ, mors. Ipsam intendunt vulneris ipsius magnitudo, tùm etiàm partium laceratio & contusio. Contusa enìm inflammari, in pus tabescere & separari debent, antequàm sanetur vulnus. Eam auget prætereà cordis vicinia, vasorum magnitudo, partis sensus eximius, & ægri dispositio inflammatoria. Ideò in amputationibus, excisione mammarum, sectione Cæsareâ, in lithotomiâ præcipuè magni apparatûs, in castratione, & in subjectis maximè naturâ suâ inflammationi obnoxiis, non sine metu atque periculo ista scena transigitur.

Nihil autem adeò variabile est, ac suppurationis indoles. Eam difficiliorem facit inflammationis prægressæ vis & natura; & exsucca labia, ardore torrida, in pus mollescere dùm nequeunt, occallescunt vel in gangrænam vertuntur aridam. Ubì contrà virium debilitas in cacochymico corpore existit, flaccida & inertem ichorem sudantia vulnera, turgidis cellulis, in fungosas carnes laxantur. Longas quoque moras facessit, si ex apertâ cavitate exsudet acris humor, suppurationem assiduo fluxu & irritatione recidivâ semper renovans. Nihil autem pejus est, quàm virus intùs hospitans, perpetuo fonte scaturiens: velutì cùm scorbuticâ sanie diffluit apertum vulnus; vel contaminatum lue venereâ aut herpeticâ, sordidum livescensque tabum fundit, malignâ suppuratione perennante.

Verùm nec in ipsâ solâ operatione pericula impendent. Prævidenda etiàm illa, quæ olìm in corpus à vulnere recreatum, jàmque sua capessens jura, ex rei necessitate incidunt. His enìm ipsa ad operationem præparatio prospicit. Has mutationes alibì facit functio sublata vel imminuta, alibì pristini habitûs in novum conversio, alibì demùm

in mutilo corpore ſublata partium æqualitas. Neminem latet quantùm ſublatis teſtibus mutentur vires, vocis organa, ſenſuûm vis, acumen ingenii. In inveteratâ aſcite, ubì tardè nimis exercetur paracentheſis, maceratis viſceribus demptoque fulcimento collapſis, difficiliores fiunt obſtructiones, laxumque ventrem aquæ derivatæ implent celeriùs. Plurimùm quoque tribuendum eſt in amputationibus artuum impetui illi, quo conſuetos humor repetit canales, antequàm in deminutâ parte proportionem debitam receperit vaſorum diameter, ipſorum brevitati non congrua. Hinc & hæmorrhagiæ in talibus adeò frequentes, & ſenſus dolorum amiſſæ partis memoriam referentium, & plethora primis temporibus facilè recrudeſcens.

I I I.

AD hoc omnis intenditur rebus in chirurgicis præparandi ratio: ſit operatio ſecura, ſit utilis. Igitur abigatur diſcriminis metus, ſpes vitæ ſanitatiſque certior affulgeat. Prima pars proſpicit operationis ipſius periculis, altera illas implet, quas morbus ſufficit indicationes.

Si quæcumque & in ipſo operandi tempore, & in ſtadiis relicto vulneri ſanando neceſſariis fieri debent, ritè & quietè tranſiguntur, ſi vulneris debita habetur *conſolidatio*, ſi demùm quæ in ſtatu corporis poſt operationem mutata remanent, quantùm licet, emendantur; plena erit & abſoluta operationis ſecuritas. Ea autèm implebuntur optimè, ſi vires in debito ſtatu conſiſtant; ſi mitigentur ſymptomata, complicationes tollantur, arripiatur occaſio; ſi tandèm arte quâlibet ſubitæ futuræ mutationis inſolentia minuatur.

Naturæ vires non tàm in aliquo impetu & violentiâ conſiſtunt, quàm in actionis æquilibrio juſtâque facultatum omnium contemperatione. Igitur ſedulò comparanda ſunt quæcumque moderationem, quietem, debitumque robur conciliare valent. Cætera naturam à mediocritate dimovent. Indè patet, quàm immeritò ut plurimùm adhibeantur ſtimulantia illa, quæ falſo ſub roborantium nomine laudantur, cardiaca. Scilicèt horum actio, ut eſt brevis & fugax, tunc tantùm exhiberi debet, cùm, aut ex ſubito terrore expaveſcentes, aut repentinâ correpti lipothymiâ colliqueſcunt ægri atque exſolvuntur. Verùm ad legitimum robur conducet uſus alimentorum eupeptorum, maximè ad naturam morbi & ad ventriculi vaſorumque concoctrices vires accommodatus; mitis idem, & pro neceſſitate, ex polytrophis dulcibus conſtans. Ad hæc animi hilaritas & modicum corporis, quantùm morbi conditio ferre poterit, exercitium adjungatur.

Nec minorem de ſingulis, pro varietate operationum, ſymptomatibus curam agere proderit. Major eſt in plethoricis hæmorrhagiæ metus; namque diſtentis canalibus uberiùs exundans humor, difficiliùs continetur laxiſque non coërcendus diffluit oſculis. Verùm hæc, victu tenui, moderatis identidem evacuationibus, licebit abſque debilitatis periculo præcavere. Spaſmos doloreſque nimios occupabunt lenis diæta, &, pro naturâ hominis, modicus paregoricorum uſus. Nec difficili operâ inflammationis violentiam prævertet Medicus tenui, antiphlogiſtico, & dilutiori regimine.

Implicant prætereà morbum, variaſque tùm operationi, tùm curationi ſtruunt inſidias

ſpaſmodici morbi, priorum viarum impuritas, &, quæ maximè ſuppurationi glutinationique nocent, cachexiæ viruſque varia. Hæc igitur antè vel miteſcere, vel exulare debent, quàm operatio quævis, ſi cunctari liceat, inſtituatur. Spaſmodicas affectiones tollere, longum opus. Verumtamèn hilaritate, quiete, diætâ leni, & apto antiſpaſmodicorum uſu cicuratæ, minores faceſſent operationi moleſtias. At ubì ſtabulatur in primis viis corrupta materies, corpus imbuit halitu putrido, naturam alligat & impedit. Fluit pro pure ſanies, & impuro ſub ichore vulnerum livent ora & gangrænâ exeduntur. Verùm, purgatâ antiſeptico victu & lenibus eccoproticis alvo, exſuſcitatâ prætereà ſtomachicis actione, jàm non ſtagnant ingeſta, & abigitur latens ſaburræ malignioris periculum. Officitne laxa cachectici corporis mollities? eam confirma tonicis, attenuantibus, euchymis. Sic enìm in ipſo quoque patente vulnere felix antè oculos ſe fert mutatio. Nàm fungoſæ ſeſe contrahunt carnes, pallidæ rubeſcunt, & tenuis humor vertitur in pus craſſum, album, læve & æquale, deterſique vulneris fit facilis glutinatio. Antè ſimiliter, ſuccis imbuta vegetabilibus, coëant rursùs & conſocientur exſoluta ſcorbuticâ labe principia ſanguinis. Aperientibus, attenuantibuſque diviſa expellantur lymphæ vitia. Venereum virus inſequatur & domet Mercurii vis; potentique ſulphure herpeticum diſſipetur venenum. Aut ſaltèm, ſi tanta ſit mali pertinacia, aliquatenùs antè operationem miteſcant. Tunc licebit opus felicioribus auſpiciis aggredi.

Tempus quoque eligere non mediocre Medici officium eſt. Aliquandò annum obſervaſſe, ſæpè occaſionem ex ægro, ſæpiùs ex partis lædendæ ſtatu ſumpſiſſe juvat. Ità ſectionem aut diſtenſionem inflammationi addidiſſe non tutum eſt; & vere calculum vel autumno ſecaſſe generatìm præſtat. Cæterùm ſua ſingulis eſt occaſio, ſive ipſam præparatio adduxerit, ſive indicaverit natura mali, ſive demùm conditio ſymptomatum obtulerit.

Futuras quoque mutationes antè occupaſſe utile eſt; ſive ipſas contrariis liceat minuere, ſive eaſdem ex longo ductas ſensìm lento gradu juvet auſpicari, ut potiùs in habitum verſæ cedant, quàm ſubitâ ſtatûs perverſione conturbent. Verùm & hæc ipſa diversè admodùm in ſingulâ operationum & corporum varietate ſeſe ferunt, & generalia legum dogmata non admittunt.

At enìm ſæpè morbum non tollit Chirurgi manus, multò verò minùs diſpoſitiones ad morbum varias. Imò dùm ad ſecuritatem comparandam cunctamur, creſcente ſensìm per cauſas ſemper agentes morbo, difficilior fit quæ differtur operatio. Igitur efficax internis admiſſa viſceribus medicina, quod tollere nequit, minuat malum; & ope auxiliatrici ægro ſanitatem afferat, victoriam & laudem Chirurgo. Sed hæc quoque in ſingulis indicari meliùs, quàm in generalibus prævideri queunt.

I V.

MAGNA igitur cum prudentiâ opus aggredi cogit periculi præſentia, tùm ab ægri conſtitutione, tùm ab indole morbi, tùm ab operationis magnitudine imminentis. Nec minùs intelligitur, quàm temerè aliquandò partes ægrotantes, ferro, cruciatibus & incertæ operationis aleæ devoverentur. Adeòque maturè primò perpendendum quid indicetur, quid metuendum ſit, quid urgeat; perſpectâque operationis neceſſitate, diſpoſitis omnibus, licebit maximas audere mutationes.

In Lithotomiâ infligitur largum vulnus parti acutiſſimè ſentienti, & jamdudùm irritatæ per diuturnos cruciatus. Deindè fit hujus vulneris diſtentio & dilaceratio ad educendum calculum. Ex his omnibus & maxima oriri poteſt ſpaſmorum violentia, & expectanda eſt inflammationis vis ingens, cùm tot cauſæ ad augendum erethiſmum unà concurrant. Præterea vulnus illud dat viam urinæ, quæ perpetuam acrimoniâ ſuâ irritationem excitat; undè difficilis & recrudeſcens in pervio vulnere ſuppuratio nectit conſolidationi moras. Accedit quod iſta operatio cum tollat morbum ipſum, minimè tamen tollit diſpoſitionem, ſæpè miram & urinæ quasi ingenitam, ad calculos informandos. Omnia igitur converti debent ad moderandum ſensûs acumen erethiſmique violentiam, ad calculoſam diſpoſitionem imminuendam, ad vulneris denique glutinationem feliciter citòque comparandam. Adeòque, ſtato, ut plurimùm inter veris initia mediumve autumnum tempore, quâ tempeſtate & mitior eſt aëris temperies, & actio naturæ liberior exiſtit, molli leniſſimoque victu & modico rerum externarum uſu temperetur æger. Lac & quæcumque ſunt craſſa nimis, exulent ab ejus diætâ. Quiete imprimis ſeverâ ulceratio veſicæ, quam produceret attritus calculi, caveatur. Præterea dùm elementa calculi dividuntur ſaponaceorum & lithontripticorum uſu, ſimul ejus incrementa prohiberi poſſunt. Suadent quidam liquores etiàm ſolventes in veſicam ipſam injicere, qualis eſt aqua calcis dilutior, (ſi tamen ipſius acrimoniam ferre veſica poſſit,) aut, ſi nuperorum inventis fidere licet, aqua *aëre fixo* turgida. Sic enìm ſperant aliquid forſan de calculi mole detrahi poſſe. His præmiſſis, antè deſtinatam diem, pro re natâ, ſanguinem aliquotiès miſiſſe proderit, junctoque victu antiphlogiſtico minuetur inflammationis metus. Pridiè dabitur lene paregoricum. Intereà diluentibus multis tenuique eduliorum & potulentorum apparatu, lenior urinæ conciliabitur indoles, ut aquosâ colluvie diluta ſalia minùs irritent & mordeant.

In Paracentheſi omnis in eo ſita eſt indicatio, ut roborata confirmataque corporis compages evacuationem perferre poſſit, nec ſinantur aquâ molleſcere viſcera. Sic enìm & deliquia præcaveri ſæpè lethalia, & collapſus impediri poſſunt, quibus infarctus ipſe pertinacior redderetur, & brevì novus hydrops, celeriùs quàm accreverat anteà, denuò recrudeſceret. Ipſa igitur per ſe ratio ſuadet, & dudùm docuit experientia, quantùm in talibus afferat damni cunctatio. Si enìm expectetur donèc in immenſum creſcat, preſſiſque interioribus, extùs varicibus diſtinctum promineat abdomen, ſemper inutilis, ſæpè funeſta fiet paracentheſis. Citiùs factâ perforatione, onus erit minus, minor mutatio, vires integræ. Præterea medicamentis aperientibus, quæ indicat ipſa mali cauſa, tonica, amara, aromatica conjungantur. Vitentur verò ſpirituoſa, quorum actio coagulat, obſtruit, indurat.

Omnia enumerare longum eſſet; & ad noſtrum argumentum accederent alia complùra. Multùm ſcilicèt eſſe Medico allabôrandum in ipſis rebus chirurgicis, nos edocent innumera aliarum operationum pericula. Norunt omnes, quàm frequentèr & quàm triſti omine, mammâ poſt cancrum exciſâ, tranſit in ſociam refluа mali materies. Amputato teſte incautiùs, magna ſub lumbis & altè latens ſuppuratio orta viſa eſt, phthiſique longâ & inſanabili miſerum confecit ægrum.

At nullibì præſentius eſt Medici auxilium, quàm ubì à nocivâ vel inutili operatione Chirurgos deterrere neceſſe eſt. Ubì membrum, malâ conſumptum labe, totum corpus ſuccis lethalibus inficit, omninò citòque reſecandum eſt, ne noceat magìs. Hoc in

casu omnis cunctatio pessima, illudque tantùm præparationi conceditur, ut corpus impleatur decoctis maximè antisepticis, substantiisque similibus foveatur pars ipsa, donèc datus fuerit ferro locus. Verùm ubi tormento bellico fracta & comminuta membra, laceratis ligamentis & diffractis ossibus ingentia minantur pericula, futura mala amputatione prævertere, primo aspectu necessum videtur. Terret enìm inflammationis ingruentis vis & natura malignior. Namque contusa, contrita, destructaque organa eschara duriori conteguntur, sanguisque sub hâc retentus violentiùs arietat. Præterea læsionis modus & partium conditio omnia funesta præsagiunt. Igitùr ferri auxilium illicò invocare, sapiens videtur consilium. At tunc temporis adest ipsa læsionis commotio, cui plurima mala tribuenda esse didicerunt artis Magistri. Huic si operationis terror, dolor, & nova commotio conjungatur, ferè omnes indè perituros fuit observatione confirmatum. Aliundè sæpè expectasse profuit. Artis auxiliis adjuta natura non semel opus omne confecit feliciùs. Institutis enìm sæpiùs in oppositâ parte venæ sectionibus parcis, sed repetitis, dùm revocabatur à parte læsâ sanguinis impetus, simul & incisâ sedulò escharâ sanguini stagnanti liber pateret exitus, felici suppuratione nocitura separata sunt, & sana conservata. Sic anceps & periculosa vitabatur operatio; vivuntque magnanimi Duces, & operam Patriæ navabunt utilem, quos talis prudentia ferro subduxit, reddiditque civitati. Sæpè causæ cognitio indicavit quædam mala sinere satius esse, quàm periculosè tollere. Fistula sat frequens, nèc semper inutile malum est. Sunt enìm validæ temperiei homines, in quibus, post vitam lautiorem omnique voluptatum generi deditam, quidquid mali contraxit corpus, facto quasi fonticulo, per quædam ulcuscula dimanat. Hujus aliquandò naturæ fuit ani fistula. Hanc sæpè in aliam partem divertere non licet. Eam verò si supprimas, pejora intentabit mala infelix curatio. Si præterea sit aperta, nèc callosa sit nimìs, nèc sit periculum ne ultrà divagetur, fluat illa, prositque. Prastat levi ulcere pacisci crudeliores molestias.

V.

QUODCUMQUE igitur sit præparationis objectum, sive immutandus sit ægri status, sive sit optanda operi dies & occasio, sive demùm de operationis necessitate decernendum, in omnibus manum consilio regere necesse est. Hujus autèm præparationis utilitatem si non argueret ipsa rei necessitas, demonstraret certè negligentiæ periculum. Quot incommoda, quot discrimina, quot mortes incautam ferri applicationem secuta sint, satìs superque evincunt repetitæ, nullisque authoribus non dictæ observationes. Affectum fistulâ suppressâ pulmonem, hepar, caput, ubique legere est. Perinæi fistulas post lithotomiam remanentes, testantur omnes, qui de primâ apparatûs lateralis origine dixerunt. Quanti facienda sit prudentia in adhibendo ferro ad artus post prælia resecandos, comprobant institutæ sedulò, in actis chirurgicis variisque operibus, amputationum in bellis perfectarum collationes. Unum in nostræ propositionis confirmationem selegisse liceat exemplum, quod & notum minùs est, & authoritate non levi confirmatum. Illud, astantibus multis, nuper in Exercitationibus nostris Chirurgicis, enarrabat Cel. M. A. PETIT. Effossis post cancrum oculis, sequitur exquisita & periculosissima phrenitis, ob inflammatas partium continuitate menynges. Hanc ipse operationem vidit pluriès ab aliis exercitam, & ipse pluriès perfecit. Una salus ægris; si scilicèt ità antè præparentur, ut phreniticos futuros decet: nempè revellentibus, ut misso non semel ex saphænâ sanguine, pediluviis; præterea diæta maximè exactâ, potibus antiphlogisticis, & applicatis capiti frigidis.

Qui omni hoc apparatu caruerunt, ferè ad unum omnes periêre ; dùm post talem præparandi methodum, saltèm ægrorum media pars evaderet. In tantâ igitùr mutationum varietate, tantâ periculi præsentiâ, tantâ necessitate præparationis; experientiâ docti, ducti ratiocinio, authoritate freti, urgente rerum evidentiâ concludimus :

Ergò *antequàm instituantur magnæ Operationes Chirurgicæ corpus medicè præparandum.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista JUMELIN.

M. Joannes-Carolus DE BROTONNE.

M. Joannes-Jacobus DE LA PORTE.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Felix VICQ D'AZYR, *Scholarum Professor designatus, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Serenissimi Comitis Atrebatum Consiliarius Medicus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius, in Societate Regiâ Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ primarius correspondens, in eâdem Societate Anatomes Humanæ necnon & comparatæ Professor à Rege nominatus.*

M. Antonius-Chaumont SABATIER.

M. Laurentius FERRET, *Ecclesiæ Cameracensis Canonicus.*

M. Joannes-Jacobus BELLETESTE, *antiquus Facultatis Decanus.*

M. Michael-Philippus BOUVART, *Regii Ordinis Eques, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi pro Epidemiis institutâ.*

Proponebat Parisiis JOANNES-NATALIS HALLÉ, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1778.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1778.